445

J

299

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

KW 445 J 299 20

DISPUTATIO THEOLOGICA DE QVATVOR CONTROVERSIS REMONSTRANTIUM ARTICVLIS Vulgo notis.

In qua ſtatus controverſiæ nudè proponitur, & Remonſtrantes ad Eccleſiæ Belgicę unitatem invitantur integrâ veritate.

QVAM

D. A. N.

SVB PRÆSIDIO

Reverendi, Clariſſimi, Doctiſsimique Viri

D. ANTONII WALÆI, SS. Theol. Doctoris, ejuſdemque Facultatis in celeberrima Lugd-Bat. Academiâ Profeſſoris ordinarij,

Publicè defendere conabitur

ARNOLDVS G. ALTIVS. Daventrio-Tranſiſ.

Ad diem 17. Iulij, *horis locoque ſolitis.*



LVGDVNI BATAVORVM,

Ex Officinâ IACOBI MARCI,

ANNO M. D CXXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Prudentiſsimisque Viris

DD. ILLUST. ac POTENTVM DOMINORVM GELRO-VELAVICÆ TETRARCHIÆ ORDINVM DEPVTATIS,

DOMINIS, FAUTORIBVS, & STVDIORVM PATRONIS OMNI OBSERVANTIA COLENDIS.

NEC NON

Doctrina, pietate, & prudentia conſpicuis viris,

D. GODESCHALCO ALTIO, { Illi Parenti venerando,
D. ADOLPHO SOPINGIO, his vero amicis unicè
D. DANIELI LARENO, mihi charis. }

PASTORIBVS Eccleſiæ Arnhemianæ fidelibus, ſtudiorumque meorum promotoribus, optimè de me meritis.

VT ET

Reverendis Doctiſſimisque Viris

D. HAIONI CORNELII,

D. PETRO de BELS avunculis dilectis, illi in ELSPEET, huic in BAREN & EEMBRVGGE Verbi Divini Miniſtris.

D. WILHELMO RIBBIO intimo meo, Eccleſiæ quæ eſt in ISELHAM concionatori.

Has Theſes in ſignum debitæ gratitudinis. Do. Dico. Conſecro.

ARNOLDVS G. ALTIVS. *Reſpondens.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

THESES THEOLOGICÆ
De
PRÆDESTINATIONE
cum annexis.

THESIS I.

EXtra omnem eſt controverſiam, atque adeò in confeſſo poſitum, dari atque extare in S. Scripturâ aliquam prædeſtinationem divinam, de quibuſdam hominibus ex univerſo genere humano ſalvandis, quibuſdam non ſalvandis, ſed damnandis.

II.

Hoc qui negat Chriſtianus non eſt; nam quamvis miſere laceratus ſit Chriſtianiſmus, atque in varias ſectas diviſus, nulla tamen hactenus prodiit gaudens titulo & nomine Chriſtiano, quæ talem prędeſtinationem negavit.

III.

In Confeſſo quoque eſt apud omnes homines, hanc prędeſtinationem æternam eſſe, hoc eſt, Deum ſapientiſſimum, juſtiſſimum, atque miſericordiſſimum ante iacta mundi fundamenta, atque ita ante hominum creationem, lapſum, atque reſtitutionem, tale decretum apud ſe feciſſe.

IV.

Neque à quoquam negatur, illud decretum duabus conſtare partibus, nempe, Electione ſalvandorum, & Reprobatione damnandorum.

V.

In eo quoque conſenſus eſt: Electionem eſſe opus divinæ gratiæ: Reprobationem vero eſſe opus juſtitiæ ac poteſtatis divinæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

VI.

Atque illud quoque κριτήριον utraque pars agnoſcit : De decretis Dei, quæ facta ſunt ab æterno, ab executione quæ fit in tempore iudicandum eſſe ; Quia antiqua & generalis eſt regula , ab utraque parte approbata : *Quicquid fit in tempore, ab æterno decretum eſſe*, quæ in hoc eximio Myſterio quoque locum habet.

VII.

Neque ulla eſt controverſia , An perſeverantes in fide ſint ſalvandi , ac per conſequens à Deo electi ad ſalutem ? Item , An infideles & impii, in infidelitate & impietate morientes, ſint damnandi, ac per conſequens à Deo reprobati ?

VIII.

Verum prima eſt quęſtio de ſubiecto , ſeu potius de ſtatu & qualitate ſubiecti : In qua ab ęterno homines nondum nati divinâ præſcientiâ ſeu prædeſtinatione ſint ſegregati : hoc eſt, alii electi ad ſalutem, alii reprobati ad damnationem.

IX.

Hæc autem ſegregatio, quoniam opus eſt Dei , non hominum nondum exiſtentium : neceſſe omnino eſt dari aut excogitari communem aliquem ſtatum, ex quo ſegregatio illa facta eſt , hoc eſt ; totum genus humanum, creandum, generandum, in duas Claſſes à Deo eſt diſtributum, nempe ſalvandorum & damnandorum.

X.

In eo ſtatu eruendo mirum in modum humanum ludit ingenium, & varii variè ſe torquent : ſumma tamen huc redit , inductione factâ ; ut homines ſegregandi iudicio divino , conſiderandi ſint à Deo omniſcio: 1. aut ut creandi. 2. aut ut creati & integri. 3. aut ut creati & lapſi in primo Adamo. 4. aut ut reſtituti in ſecundo Adamo, id eſt, Chriſto.

XI.

De primis duobus ſtatibus tametſi variant Theologorum opiniones, & ſibi quiſque probabiles rationes adducere videtur : tamen poſito fundamento eo, quod in Theſi quinta extat: nempe, Electionem eſſe opus gratiæ & miſericordiæ Dei ; Reprobationem verò eſſe opus iuſtitiæ ac poteſtatis divinæ ; propriè loquendo hi ſtatus in conſiderationem venire non poſſunt ; nam cum Deus propoſuerit creare homines, & creaverit integros, bonos, & ad imaginem ſui : minimè credendum eſt, Deum bonum bonos quâ bonos ad malum finem diſpoſuiſſe, & pænis æternis purum opus ſuum adiudicaſſe. Hinc in Synodo Dordracenâ quæſtiones de primis duobus ſtatibus pręteritæ ſunt, & ſuis auctoribus relictæ.

XII. Reſtat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

XII.

Reſtat igitur proxima & ſecunda quæſtio, in quâ Cardo controverſiæ præcipuè verſatur: An homines eligendi & reprobandi, conſiderandi ſint in Adamo, an in Chriſto; quia in hac vita tertius ſtatus dari non poteſt: hoc eſt, an ut perditi, an ut liberati ex perditione?

XIII.

Quicunque autem in S. Scriptura mediocriter eſt verſatus, nec præiudicio occupatus, ſatis videre poteſt, nec dari in Scripturâ, nec dari poſſe alium communem ſtatum, in quo ſimul occupari poſſint miſericordia & iuſtitia Dei, quam ſtatum corruptionis & peccati per Adamum in mundum introducti. ut nempè ex peccatoribus pariter corruptis, & ſuo vitio perditis, alii gratioſe ſerventur in Chriſto Servatore, alii iuſtè damnentur ex vitio ac merito ſuo: ut Deus in utroque opere tàm gratię, quàm iuſtitiæ à ſuis celebretur. Eph. 1. 6. Rom. 9. 17.

XIV.

Somniare autem prædeſtinationem iſtam liberationi per Chriſtum factę aut faciendæ ſubordinatam eſſe, adeò ut credentes in Chriſtum tunc demum eligantur, cum credere incipiunt, & non-credentes in eum repudientur; eſt ex opere divino facere humanum, quaſi actione propriâ quiſque ſeipſum diſcriminet, id eſt, faciat electum aut reprobum: cum Scriptura in ſolidum utrumque opus uni ſoli Deo tribuat. Eph. 1. & Rom. 9.

XV.

Tertia igitur quæſtio eſt; An diſpenſatio ſalutis, & uſus ſalutarium mediorum ab arbitrio divino dependeant, an ab humano? hoc eſt, An voluntas Dei ſit indifferens & indefinita, determinanda ab humana voluntate: An vero definita de ſingulis individuis, hoc eſt, Davide & Petro, aliiſque electis per ſalutaria media certo ſalvandis; Iuda & Ante-Chriſto, aliiſque reprobis & perditionis filiis propter peccata ſua iuſte damnandis?

XVI.

Hic mirum in modum tergiverſantur homines, & ſe ipſos implicant, dum humana ratio ſeſe divinæ voluntati non vult ſubiicere, ſed omnes rimatur anguſtias, ut libero ſuo arbitrio divinam deſtruat providentiam; & homo ſe ipſum facit ſacrilegum, dum extra liberatorem vult facere liberum.

XVII.

Hic oſtia ſua pandit tota Pelagianorum & Semipelagianorum Schola, & alii in Adamo latebras quærunt ſeipſos ficulneis foliis tegentes, quaſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

quaſi libertas voluntatis in bono ſalutari in creatione conceſſa , per lapſum Adami non ſit omninò perdita: Alii diuerticula quærunt in gratia Chriſti communi, quaſi amiſſam libertatem omnes pariter receperint, eatenus ſaltem, ut ubicunque terrarum Euangelium Chriſti prędicatur, tantam omnibus & ſingulis gratiam afferat, ut poſſint, ſi velint, promiſcuè & indiſcriminatim Euangelio credere: atque ita iuvante hâc qualicunque gratia ſe ipſos ex infidelibus facere fideles, hoc eſt, ex eorum opinione electos. Hic ſtatus pręcipuus controverſiæ, atque hic pes fortius figendus eſt.

XVIII.

Eligendum igitur alterutrum à Remonſtrantibus; aut ut hanc libertatem in naturę non plenè corruptæ reliquiis quærant; aut in Chriſti communi reparatione: aut utrumque coniungant ſimul, ut gratia Chriſti communis excitet illas naturę ſcintillas, ut utroque cooperante, naturâ ſcil. & gratia, fides ſaluifica homini cuivis ingeneretur, qui arbitrio ſuo naturali in amplectendo Chriſto rectè utitur.

XIX.

Nos utrumque negamus, nimirum tantam naturæ corruptæ potentiam, & tam communem atque indifferentem gratiam; negamuſque utriuſque cooperationem ad fidei generationem. Neque hactenus aliquid ſolidi à Remonſtrantibus in hac cauſa eſt allatum: ſi quid habent, producant tandem in medium.

XX.

Quarta & ultima reſtat, inter nos & illos quæſtio? An qui ſemel per Spiritum Sanctum vere regenerati ſunt, totaliter & finaliter regenerationem ſuam & ſalutem poſſint amittere; hoc eſt (ex eorum hypotheſi, qui hic auſpicantur electionem) An electi poſſint fieri reprobi? & filij Dei filij Diaboli?

XXI.

Tametſi hic nobiſcum poſſent conſentire ſine læſione aliarum controverſiarum, quæ de principio & medio electionis agunt, quum hæc agat de fine id eſt finali continuatione gratiæ: Attamen malunt perſeverantiam filiorum Dei dubiam & incertam facere, quam arbitrii ſui libertati aliquid detrahere: ut ſcil. voluntas eorum ſit libera in principio, medio, & fine electionis, & inchoare poſſe videantur electionem ſuam, eamque continuare aut abrumpere pro placito voluntatis ſuæ, atque ita voluntatem ſuam per omnia heram ſeu Dominam eſſe volunt voluntatis divinę, non famulam aut pediſſequam.

XXII.

Atqui periculoſior error in Chriſtiana religione dari non poteſt, quæ non fovet, ſed deſtruit pietatem, dum per omnia hominem conſtituat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

ſtituat ſui ipſius Idolum: Idololatria enim eſt, quodcunque Deo eſt proprium, aliquo modo homini attribuere: Dei autem ſolius eſt, eligere, Chriſtum dare, regenerare, atque in fide & gratia ſalutari ad finem confirmare.

XXIII.

Hęc qui cum arbitrio ſuo partiuntur ſunt Semipelagiani, in Deum ingrati, & in ſe ipſos iniurii; quia uni & ſoli gratiæ divinæ Electio ſalvandorum, Liberatio eorum per Chriſtum, Regeneratio per S. Sanctum; denique Perſeverantia in his omnibus ad ſalutem eorum attribuuntur.

De primo loca ſunt evidentia. Rom. 9. 11. Eph. 1. 5. Ioh. 15. 16. 2. Tim. 1. 9.

De ſecundo. Ioh. 3. 16. Rom. 5. 6. Ioh. 10. 16. Eſa. 9. 5. Luc. 2. 11. & 14.

De tertio. Ioh. 1. 13. & 3. 5. Tit. 3. 5. 1. Pet. 1. 3. Iac. 1. 18.

De quarto. Ioh. 10. 28. 2. Cor. 10. 4. Phil. 2. 13. 1. Petr. 1. 4 5. 6. Matth. 24. 22. & 24.

XXIV.

Ergo ſi Remonſtrantes ad Eccleſiæ Reformatæ ſocietatem redire volunt, his ſuis erroribus renuntiare debent atque cum Eccleſijs noſtris ingenuè & rotundè profiteri; ſe totam ſalutis gloriam ſoli glorioſæ gratiæ Dei in Chriſto Ieſu Servatore unico, non autem humano arbitrio attribuere, & ſi quæ dubia habent in formulis publicis Eccleſiæ, nempe Catecheſeos Confeſſionis, & Canonum Dordracenæ Synodi, eorum interpretationem ab Eccleſiæ Reformatæ iudicio, non ſuo, modeſte accipere, ut aliorum conſequentiis nemo gravetur, ſed veritas Eccleſię ſuis integra ſtet columnis, atque ita expedita via pax Belgicis Eccleſiis reſtituetur; Veritas enim & fundamentum, & fulcimentum, & complementum eſt veræ pacis: nulla pax ſtabilis, quæ lęſa contrahitur veritate.

XXV.

Deus pacis & veritatis largiatur nobis utrimque hanc gratiam, ut tandem ſuperatis omnibus altercationibus verè de nobis dici poſſit, quod de Apoſtolica Eccleſiâ Acta eorum teſtantur. Act. 4. 32. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 299